

lidata, & callosa, evasisse Vasa & Vis-  
cera.

48. Hinc patet, omnia, quae de facul-  
tate nutrimentorum traduntur, alias vera,  
alias falsa esse; Exercitia muscularum ro-  
borare fibras; Exercitia ventionis resolvere  
coacta, roborare laxa, nec dispergere vi-  
res; ipsum sanguinem & cruentem in ro-  
busstissimis esse maxime densum, lentum,  
blandum; in tenerim dissolutum, le-  
vem, acrem; infinitos morbos, facie di-  
versissimos, una saepe radice haerere posse,  
eaque succisa tolli.

49. Ex iisdem cognitio & curatio laxi-  
tatis Vasorum & Viscerum habetur.

## MORBI VISCRUM FORTIUM ET RIGIDORUM.

50. **R**igiditas nimia Vasorum & Visce-  
rum nominatur illa partium (23.  
38. 39.) haec componentium cohesio,  
quae non cedat illi motui, qui illa muta-  
re & movere debebat, ut fierent ea, quae  
Sanitatis & Vitae tempore ab hac muta-  
bilitate fluebant.

51. Oritur. 1. ab omni causa fibrae ni-  
mis rigidae (32.) 2. maxime a fibris, va-  
lida vi propulsi liquidi vitalis admodum  
compactis ad se mutuo. 3. ab adunatione  
canalium minorum orbatorum suo liquido  
per

per violentam pressionem, qua vitale liquidum arteriosum canarium majorum latera premit, cuius maxima effectrix causa est valde exercitatus muscularis motus. 4. ab concreto vase in unum solidum cum proprio liquido stagnante, exsiccato, coagulato.

52. Ubi obtinet in vasis, producit effectus: 1. similes, vel eosdem iis, qui a fibra nimis rigida. (33.) 2. facit in vasis validum nixum, quo fibrae conantur se applicare ad axin sui canalis; arctare cava sua; premere, comprimere, repellere, expellere sua liquida; hinc eorum motui a corde, adeoque & cordi resistere; vix dilatari, hinc interrumpere aequabilem sanguinis motum, adeoque omnium secretionum; minuere copiam sanguinis aliter uno ictu ex corde expellendi; impedire cordis evacuationem perfectam; polypos sanguinis producere; fluidum comprimendo, & a fluidissimis spoliando, id condensare, suffocationes, mortem creare. 3. vulneratis vasis magnos hiatus creat per vim magnam, qua trahuntur in sua sustentacula partes vasorum; discessis integre cavitates minuit extremas, vel claudit.

53. Ex his (31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 50. 51. 52.) accurate perspectis clara habetur

betur doctrina, qua noscitur praeterita, praeiens, futura, agens, & actura va-  
forum rigiditas, elasticitas, vis, curatio-

54. Eam enim efficiunt 1. remedia cu-  
randa rigiditati fibrae propria (35.) 2.  
illa maxime, quae liquidi vitalis copiam,  
densitatem, pressionem minuant. 3. quae  
motum muscularum suspendunt. 4. ea,  
quae humectant, leniunt, emolliunt, di-  
luunt, resolvunt, abstergunt.

55. Ex hisce omnibus (ab 21. ad 55.)  
morbis Partium Solidarum proprii intelli-  
guntur, curantur; & ex iisdem clarescit,  
quid respondendum his quaestionibus:  
Quae diversitas structurae partium solida-  
rum in aetate diversa? Cur homo crescit,  
perstat, decrescit? Cur in utero materno  
omnium oxyssime augeatur? Cur laxus,  
fortis, rigidus fit? Cur humidus, ple-  
nus, siccus? Cur morte naturali, vel  
fato senili, moritur? Et quo tum morbo?  
quinam morbi plerumque singulæ aetati  
proprii? quis vietus, quae vita, quae  
medicamenta, cuique temporis vitae com-  
moda? quænam fides, quae utilitas, do-  
ctrinae de stricto & laxo in solidis? Unde  
desumenda nota certissima justæ mensu-  
rae laxi, & stricti, in homine? &c.

56. Vulnus hinc (16.) jam primo per-  
tractandum, post morbos solidi simplicif-  
simos,

simos. Sed, quum vitia liquorum spontanea semper trahat secum, de hisce ante vulnera agendum erit, quae nosci debent ante historiam vulnerum absolvendam.

57. Unde agetur primo de his Humorum morbis, qui in illis nascuntur sponte; dum vel sibi ipsis permittuntur, nulla habita ratione vasorum, vel vitio incitati, torpentisve nimium, vitalis motus.

#### DE SIMPLICISSIMIS HUMORUM VITIIS, ET SPONTANEIS.

58. **H**umores in homine vivo reperiundi, vel crudi assumtorum natum retinent hactenus, vel vi actionum naturalium, & miscela fluidorum humorum, indolem acquifiverunt nostris liquoribus similem.

59. Priores (56.) vel ex plantis, vel ex aliis sunt hausti animalibus.

#### MORBI SPONTANEI EX ACIDO HUMORE.

60. **L**iuida nostra, confecta ex plantis farinosis, vel ex horaeis fructibus, crudis, fermentatisve, si vires vitae nostrae vincunt, eam in nobis indolem acqui-